

## De Asia Minore.

---

### Præmittenda.

**P**eninsula, ejus res suscepti illustrandas, inter Europam et Asiam ita interjecta, ut pleraque utriusque terrarum partis populorum bella in ea gererentur tanquam in arena, licet in historia rerum gestarum ab antiquissimis temporibus magni esset momenti, tamen, quum vix unquam sui juris, sed, brevi tempore, quo Lydi ejus imperium affectarent, excepto, aut Europæorum (Macedonum, Romanorum), aut Asianorum potestati subjecta esset, in historia, quam dicimus universalem, neque ipsa magnas partes egit, neque historicorum id studium, quo digna erat, in se convertisse videtur. Sunt autem et fuerunt in ea memoratu digna multa, ut mirabilia in rebus, quas profert natura, ut tanta varietas et dissimilitudo gentium, quae in unum corpus nunquam conjungi posse viderentur, ut Graecorum ad oram maritimam infirmae a principio coloniae, post annos non multos in maximam auctoritatem provecctae; Graeca deinde lingua, Graecisque literis sensim per totam peninsulae divulgatis, quantum numerum hominum in literis celebrium genuerit, mirari cogimur. Quae mihi cum animo meo cogitanti consilium natum est, ut, quum Graecae historiae scriptores perlegerem, locos ad hanc Asiae partem, quam nunc minorem voeamus, pertinentes colligerem libellumque de ejus rebus, quales sub imperio Persarum fuerint, componerem. Restabant autem non pauca ad geographiam, ad originem moresque singularum gentium spectantia, quae rerum gestarum narrationi præmittenda videbantur; verum tamen, ne in rebus geographicis operam susciperem, a Cellario et Mannerto summa industria jam absolutam, ratio quae esset tenenda, certis finibus erat circumseribenda. Antiquam enim hujus terrae historiam quum scribendam mihi proposuissem, geographicam quoque disquisitionem necesse videbatur ut coercerem ad terminos antiquitatis ejus, quae cum Macedonum imperio finiretur. Acquiescendum igitur erat in rebus ab Homero, Herodoto, Thueydide, Xenophonte relatis; ex quibus scriptoribus quum quae omnes peninsulae partes complecteretur adumbratio geographica confici non posset, adhibui insuper Strabonis libros 12. 13. 14, in quibus multa ad antiquam hujus terrae conditionem pertinentia continentur.

Qui harum terrarum eam conditionem, qua Romanorum tempore fuerit, perscrutandum sibi sumit, ei Plinius prae ceteris subsidio erit, a quo conventus, in quos peninsula a Romanis

divisa erat, recensentur. Mili antiquus ejus status, antiquae gentium sedes et instituta erant describenda. De his autem rebus geographicis non ita, ut libellum per se absolutum conscriberem, disserenti, sed ut viam ad res historicas struerem, non omnia, quae possem, geographica describenda, non omnium oppidorum nomina enumeranda videbantur, sed sola, quae alicujus in historia essent momenti. Fontes primarii, e quibus lausi, erant Homerus, Herodotus, Thucydides, Xenophontis Hellenica Cyrique expeditio et Strabo. Pauca quaedam addita sunt ex Arriano, Diodoro, Plinio, Pomponio Mela, Pausania et aliis. Prior pars, cujus specimen nunc propono, geographica et historica ante Persarum imperium continet; posterior fata peninsulae sub imperio Persarum narrabit.

Index Capitum.

- Caput I. a) de nomine,  
b) de circuitu,  
c) superficies soli.
- Caput II. a) Ora septentrionalis (Bithynia, Paphlagonia, ora Pontica);  
b) media terra (Cappadocia, Lycaonia, Pisidia, Phrygia);  
c) ora meridionalis (Lycia, Pamphylia, Cilicia);  
d) ora occidentalis (Caria, Lydia, Mysia).
- Caput III. Asia Minor, qualis apud Homerum proponitur.
- Caput IV. Coloniae a Graecis conditae; annotatio de commercio.
- Caput V. De triginta gentibus, quas Herodotus indicat eorumque linguis et cultu deorum.
- Caput VI. De fatibus harum gentium ante Croesi aetatem.

Excursus: de Amazonibus.

---

Caput I.


a) De nomine.

Apud Homerum duae continentis Asia et Europa certis nominibus nondum distinguuntur; primus est Herodotus, apud quem ea nomina inveniuntur, unde aetate inter Homerum et Herodotum in usum venisse colligitur. De origine nominis satis ingeniosa est opinio virorum doctorum, nomen istud deducendum esse a  $\Psi\Omega$  i. e. media terra sive dimidio terrae et a Phoenicibus, ab antiquis temporibus in illis regionibus mercaturam facientibus, esse suppeditatum. Opinio licet ingeniosa, tamen multis difficultatibus impedita. Ubi enim docetur, apud Phoenices sive Hebraeos sive alios Asianos hoc nomine continentem esse notatam? Mercatoribus non tam opus sunt generalia terrarum nomina quam singulorum, quo commercium instituant, locorum; ista nomina ab iis potius adhibentur, qui ad modum disciplinae terrarum situm et rationem cognoscere studeant. Praeterea omnia vestigia in oram occidentalem ducunt, ubi

Graeci primas in hac terra colonias condiderant et, Graecis Lydisque istud nomen usurpatum fuisse, e multis intelligitur testimoniis. In eo omnes consentiunt, ut ab initio angustiori regioni peculiare, a Graecis paulatim non in peninsulam modo, sed in universam continentem extensum videatur. Apud Homerum Il. 2, 461 reperitur Ἄσιος λειμῶν ad Caystrum fluvium, ubi grues, cygnos anseresque se congregare dicit. Triginta stadiis a Nysa locum quendam Δειμῶνος fuisse, refert Strabo (p. 650), sed in eo, ut eum ab Homericis non differre credat, errasse videtur. Cayster enim multo longius abest a Nysa et Maeandri planitie. At praetereundum tamen non est, Strabonis etiam tempore praefectos eparchiae, in qua sita erat Nysa, Asiarchas esse cognominatos (p. 649). Ita in Actis Apostol. 19, 31 Ephesi inveniuntur Asiarchae, praefecti certaminum ludorumque sacrorum. „Asius“ nomen apud Homerum non tantum isti prae, sed viris etiam tribuitur, ut (Il. 2, 838) Asius Hyrtacides ab Arisba Ilium profectus commemoratur; 17, 583 Phaenops quidam Asiades, Abydenus, ex eadem fortasse familia; 16, 717 Asius Dymantis filius, qui ad Sangarium in Phrygia habitabat. Nomen „Asia“ ad continentem significandam ab Herodoto primo inter scriptores, qui supersunt, adhibetur, qui (4, 45) docet, Graecos Lydosque eo nomine usos esse sed de ejus origine inter se dissentientes. Graeci nomen deducebant ab Asia, Promethei uxore, at Lydi ab Asia, Cotyis filio, Manis nepote. Genealogia hujus familiae ea est, quam in margine annotavi,\*) ex qua apparet, tres terras a tribus Manis nepotibus esse cognominatas, a Tyrseno Tyrreniam, Lydiam a Lydo, Asiam ab Asia. Fuit etiam Sardibus in ipsa urbe gens quaedam sive tribus (Φυλή) ab eodem heroe Asiana dicta; et Callino teste, ut legitur in Strabone 627, omnes Lydi appellabantur etiam Esionenses sive Asionenses, sicut Maeonia (Lydia) eadem ratione Asia. In Lydia igitur origo hujus nominis quaerenda est, sive ortum sit ab heroe quodam, sive a provincia. Utrumque enim probabile potest haberi, quum simili ratione nomen Africae ab exigua provincia in totam continentem sit propagatum et nostra fere aetate America ab uno homine nomen suum accepit.

Asia nomen duplici sensu adhibetur pro parte et pro toto. In parte ista, quae regio comprehendatur, quamquam certis finibus definiri non potest, tamen non desunt loci in scriptoribus, qui rem aliqua ex parte illustrent. Nepos exempli gratia (in Themistocle c. 10), ubi narrat, Themistoclem Susis rediisse Magnesiam, in Asiam eum dicit rediisse. In bello Alexandrino (c. 65) Caesar speravisse traditur: „in Syria, Cilicia, Asia celeriter se confecturum, in Bithynia et Ponto plus oneris sibi impendere.“ Cilicia igitur, Pontus, Bithynia ad Asiam non pertinebant. Strabo (577) Apameam emporium in Asia proprie dicta (τῆς ἰδίας λεγομένης Ἀσίας) collocat. Alio loco (624) eam ditionem, quam ab Attalo hereditate accepissent, Ro-

I \*



manos Asiam appellasse dicit. Ea est Asia proconsularis, quam Plinius (5, 32) septemtrionem versus Rhyndacum fluvium dirimere a Bithynia refert. Praeter dubium est, Mysiam, Lydiam, planitiem ad Maeandrum, eam Phrygiae partem, ubi Apamea sita erat, sub nomine Asia comprehendi. Ampliore sensu Strabo (534) nomen Asiae accipit de terra intra Halyn sita sive intra Taurum, cui imperaverat Croesus, in qua Paphlagones, Phryges, Lycaones, Bithynos, Mysos, Phrygiam Epictetum, Troadem, Hellespontum, Graecorum Aeoles et Iones, praeterea Cares, Lycios et Lydos contineri dicit. Eodem fere ambitu, exceptis tamen Paphlagonia et Bithynia, posteriore Romanorum tempore fuit Asia provincia et inter partes hujus provinciae una dicta est Asia ipsa, in qua jacebat Ilium (cf. Eutrop. et Notitia dignitatum). Nomen „Asia Minor“ quo hodie de peninsula universa utimur, ante quintum seculum p. Ch. et ante Orosium in usu fuisse non videtur; tamen jam Herodotus terras mare mediterraneum attingentes uno nomine Asiam inferiorem *ἀσίαν τὴν κάτω* dixit.

**b) De circuitu Asiae minoris.**

Naturam hujus peninsulae bene cognitam habet Herodotus, ut qui *ἀπὸ τῆν* eam dicat prominentem inde a Phasi flumine et a Myriandrico sinu usque ad Sigeum in Troade et Triopium haud procul Cnido promontoria. Mari circumdatur tribus partibus, ad septemtrionem Ponto Euxino, ad meridiem et occasum mari mediterraneo. Latus, quod ad septemtrionem vergit, ex ratione Herodoti (4, 85—86) ab ostio Bospori ad Phasidem 11000 stadiorum sive novem dierum et octo noctium navigationem tenet, quod modum legitimum excedere videtur. Accuratius Strabo dimensionem hujus lateris exposuit, qui a Chalcedonio Jovis templo ad Phasidem circa 8000 stadiorum computat (p. 548) i. e.

a Chalcedonio templo Heracleam . . . . .	1500
ab Heraclea Sinopen . . . . .	2000
a Sinope Amisum . . . . .	900
ab Amiso Trapezuntem . . . . .	2200
a Trapezunte ad Phasidem . . . . .	1400

8000

Ejus partis, quae est inter Pontum Euxinum et mare Aegeum Herodotus hanc iniit mensuram, ut longitudinis Bospori 120 stadia, Propontidis 1400, Hellesponti 400 numeret. Inde a Propontide usque ad Cariae litus, quod contra Rhodum est, 5000 stadiorum linea recta vel paulo minus existimat Strabo 655. Tertio lateri, quod ad Aegyptum spectat, longitudinem 6400 stadiorum tribuit (p. 651) i. e. a Phoenice promontorio usque ad Daedala 1500, a Daedalis usque ad Issicum sinum 4900. Non desunt computationes longitudinis, quanta sit terrestri itinere ab Epheso ad Euphratem, quae via commercii causa multum frequentabatur, sed scriptores non plane inter se consentiunt. Herodotus enim rationem nimis extendit ad 6960 stadiorum; Straboni, cui major fides habenda videtur, 5220 stadiorum (130 fere milliarum geographica) satis sunt, a quo Plinius non multum discrepare videtur, qui (2,108) ab Epheso ad Euphratem 742,000 passuum numerat. — Quarto lateri conterminam habet Asiae con-

inentem. Opinio antiquis scriptoribus ab Herodoto usque ad Strabonem acceptissima fuit, hoc latus ita in angustum contrahi, ut inter Cilicium mare et illud, quod Sinopen et Amisum alluat, quasi isthmus sive *ἀσχίν* existat, quod intervallum a viro expedito quinque diebus percurri possit (Hdt. 2, 34). Plinius (6, 2 Histor. Nat.) sinus Amiseni recessum existimat tantum, ut Asiam paene insulam faciat, CCmilibus passuum haud amplius per continentem ad Issicum Ciliciae sinum. (40 mill. geog.) Itaque ab aliis triquetra dicebatur Asia minor; Strabo autem quadrangulam eam esse recte docet et intervallam ab Amiso ad ostia Cydni fluminis (673 et 677) 3000 stad. (circa 75 mill. geog.) metitur.

### c) Superficies.

Terrarum superficiei ratio optime cognoscitur ex cursu fluviorum, ex quo judicari potest, in quam partem sint aut ascendentes aut inclinatae; quare naturae ipsi maxime consentaneum videtur, terrarum partes ita distribuere, ut conjunctae describantur, ex quibus fluvii eundem teneant cursum. Primo adpectu cujuscunque mappae geographicae docemur, peninsulae nostrae aquas decurrere in tres partes: in mare Ponticum, in mediterraneum et Aegeum. Regio enim, quae in Propontidem aquas suas demittit, minor est quam quae reliquis comparari possit. Ita etiam provinciae aut ad mare Ponticum, aut ad Aegeum, aut ad mediterraneum spectant.

Hanc distributionem confirmat jugorum directio. Maximum jugum, quo totius peninsulae quasi constructio conficitur, Taurus cum Antitauro est, qui ex opinione veterum non solum Asiam minorem sed totam Asiam in duas partes dirimit, incipiens ab litore Rhodiis contrario et porrectus usque ad Indicos montes. Ad nostram rem pertinet ea tantum pars, quae inter Armeniam et Lyciam sita est. Humiliora ejus promontoria prominent in Lydia et Caria: Mycale promontorium per Pactyam et Messogidem montes uno tenore Tauro conjungitur (Strabo 636, Arriam 5, 52). Item Mastusia mons, qui est a tergo Smyrnae (Plin. 5, 29), desinit in Dracone, Draco in Tmolo, Tmolus in Cadmo et Cadmus junctus est Tauro. Sed hi montes neque latiores sunt neque editiores. Altius assurgit Taurus a Lycia et apud insulas Chelidonias in finibus Pamphyliae (Strab. 521), unde longo dorso in Orientem porrectus a septentrione fines Pamphyliae et Ciliciae efficit (Arr. 3, 38, 9). Non angustum est jugum sive una series montium sed continuus terrarum tumor, qui tam late patet, ut totae gentes veluti Pisidae, Cilices, Cappadoces in ejus ambitu sedes habeant. In media terra ad latus ejus sunt *ὄρεσσις* sive aequora camporum edita et patentia, quae graduum ratione ab Armenia ad Cappadociam, inde per Lycaoniam et Phrygiam ad Lydiam et mare occidentale descendunt. In hac conformatione peninsula nostra magnam habet similitudinem cum Hispania, quae a Vetere Castilia ad Castilia Novam, Andalusiam et Lusitaniam inclinatur. A Tauro multi montium tractus tanquam rami exeunt, ut septentrionem versus Antitaurus, qui in Cataonia desinit, ab oriente Amanus, qui in Melitenen provinciam et ad Euphratem pergat. Altissimum totius peninsulae quasi vallum est Antitaurus, cujus cacumina etiamsi per se non sint editissima, tamen in excelsis fundamentis posita sunt. Quare factum, ut ab eo fluvii aut in septentrionem decurrant aut in meridiem, majores quidem in septentrionem, Lycus, Iris, Halys, Parthenius,

Sangarius, quia major peninsulae pars in Pontum inclinata est. Mira est inter hos fluvios cursum concordia; primum enim omnes fere ab oriente in occasum cursum tenent, deinde in septentrionem se convertunt. Ad hanc ditionem pertinent Bithynia, Paphlagonia, pars Phrygiae, Pontus et pars Cappadociae Magnae. Angustior est ora meridionalis, quam Pyramus, Sarus, Cydnus, Cestrus, Xanthus et alii percurrunt; provinciae sunt Cilicia, Pamphylia, Lycia, Pisidia, Milyas. —

Ad occidentem labuntur Caicus, Hermus, Cayster, Maeander, praeter quos Mysia, Lydia, Caria sitae sunt. In hac parte et in meridionali ab antiquo tempore Graeca lingua, Graeca sacra et instituta recepta sunt, quum reges Lydorum et aetate Persarum Cyrus minor alique satrapae Graecorum essent fautores. Contra accidit in ora septentrionali, ut barbari restarent populi, barbarus sermo, Asiaticus civitatum ordo et cultus deorum. Paucae Graecorum ejus regionis coloniae angusto spatio coerebantur.

---

Caput II.

a) Ora septentrionalis.

Natura ipsa hanc oram in duas partes dividit, quarum altera cis Halyn, altera trans Halyn jacet. Litora Bithyniae, Paphlagoniae et Sinopensium sunt montana, silvis consita copiosam navibus fabricandis materiam praebentibus. Trans Halyn usque in Colchidem mollia (*μαλακά*) sunt litora et placide acclivia, lenia fluviorum ostia, sed in orientali ejus parte angusta est inter mare et montes ora. (Strabo 498.)

1) A Propontide usque ad Halyn, quam partem Bithyni, Mariandyni (Caucones, Heneti periere), Paphlagones incolunt.

a) Bithynia.

Bithyniam ab occasu Propontis et Bosphorus, a meridie Mysia et Phrygia *Ἐπίκτητος*, a septentrione mare Ponticum a Bosphoro usque ad Sangarii ostium, ab oriente Mariandyni, Paphlagones et Epictetorum quidam circumdant.

Hanc regionem tenebant olim Mysi, unde fauces inter Byzantium et Chalcedonem Mysius Bosphorus dictae; post eos Bithyni et Thyni, gentes Thraciae immigrarunt, a quibus nomen suum accepit. Incipit Bithynia a monte Olympo, ad cujus radices Prusa urbs sita est et Mysia et Phrygiis finitima. Mysi trans Olympum habitabant, Phrygia Epictetus ab Ascania palude ortum versus initium capiebat, ubi posteriore tempore Nicaea, urbs capitalis Bithynorum, ab Antigono et Lysimacho condita est. Paulo supra paludem in montibus ad orientem Otraea oppidulum in finibus Bithyniae jacet. Ab altera parte in terram intrant duo Propontidis modici sinus; alter sine nomine (Mela I, 19) Cion Phrygiae propinqua opportunissimum emporium amplectitur. Cius, postea Prusias, sicut Myrlea ad eundem sinum postea Apamea appellata

est. Supra Prusiadem Arganthonius mons est, ubi Hylam Herculis socium in expeditione Argonautarum, quum aquatum missus esset, a Nymphis esse raptum, fabula narrat; et in memoriam hujus rei Prusiensibus celebrabatur festivitas quaedam, qua montes conscendebant thiasum agentes Hylamque vocabant. Alter sinus, Olbianos apud Melam I, 19, Astacenus apud Strabonem, in promontorio habet Neptuni fanum atque in litore interiore Astacum a Megarensibus Atheniensibusque conditum, a Lysimacho dirutum; ejus incolae postea Nicomedes in urbem a se conditam atque a suo nomine appellatam traduxit. In media terra „Bithynium“ oppidum est supra Teium sive Tiejum situm cum campo Salone, ubi optima boum pascua et Salonites caseus confectus. (Str. 565) Ex locorum ordine, quem Strabo servat, oppidum haud procul Nicaea situm esse apparet. Nomen Teii Tzschuekius editor Strabonis in Tiejum mutavit, qua lectione deceptus Reichardus in mappa Salonen tanquam urbem supra illud Tiejum, quod in Cauconibus est, collocavit, Bithynium omisit. Astaceni sinus litus septentrionale jam est Chalcedoniorum et in ipso Bospori ore sequitur urbs Chalcedon, Megarensium colonia; deinde pagus Chrysopolis et fanum Jovis Urii (Mela I, 19) celeberrimum, a Jasone conditum.

In Pontica ora usque ad Sangarium oppida non commemorat Strabo (543), sed duos fluvios Psillidem et Calpam et insulam Thyniam. Plinius (6, 1) inter Bosporum et Psillidem alium amnem habet Rhebam, quem Rhoesum aliqui dixerunt. Sangarius, a plerisque Coralius dictus, ejus jam Homerus mentionem facit, oritur in Phrygia apud Sangiam pagum 150 stadiis a Pessinunte (Arrian 1, 29, 7), et magnis fluviis exceptis, inter quos sunt Tembrogus et Galus, Bithynio miscetur mari. Fluit per Phrygiam Epictetum et partem aliquam Bithyniae, ita ut a Nicomedia paulo plus 300 stadia absit. In ea regione Gallo, qui fontem habet apud Modra in Phrygia Hellespontica, recepto, navigabilis fit et inde ad ostia in finibus Bithyniae delabitur. Longitudo hujus litoris a templo Chalcedonio ad Sangarium 500 stadiorum est. Medio circiter itinere inter Byzantium et Heracleam promontorium quoddam in mare porrigitur, quod, ubi humillimum est, in altitudinem 120 pedum assurgit et isthmo 400 pedes lato terrae conjungitur. Id promontorium sub rupibus occidentem versus portum habet et in ipso isthmo decem milibus incolarum satis spatii est. Calpe is portus a Xenophonte (Anab. 6, 2, 3) appellatur. Ad mare ipsum fons est dulcis aquae, in litore materiae navibus exstruendis magna copia. Supra portum mons in mediam terram porrigitur circa 20 stadia, humo tectus, non petrosus et a latere maritimo diversis magnisque arboribus densus. Reliqua terra pulchra et copiosa, frequentes ibi pagi et hominibus pleni. Ea regio et hordeum et triticum et legumina, panicum miliaceum et sesamum, ficorum magnam copiam et vites dulces praebentes vinum ceteraque fert omnia praeter oleum.

Gens Bithynorum. — Antiquo tempore Mysii et Bebryces hanc terram tenebant; postea ex Thracia Thyni et Bithyni immigrarunt, ut supra dictum est. Thracum magnum robur in Asia consedit (Hdt. 7, 75. 3, 90), nam omnes, quos modo dixi, populi et praeterea Mariandyni, licet separati a Bithynis, eodem genere orti sunt. Itaque Xenophon (Anab. 6, 2) totam ditionem ab Heraclea ad Bosporum „Thraciam in Asia“ vocat. Hic de Thynis tantummodo atque Bithynis disserendum est. Thyni ex parte etiam in Thracia circa Perinthum resta-

bant, quos nocturno bello exercitatissimos Xenophon dicit (Anab. 7, 2, 22) et oram Thyniadem prope Apolloniam et Salmydessum Strabo commemorat 541. Bithyni, olim a fluvio, quem circumhabitabant, Strymonii appellati (Helt. 7, 20), a Teucris Mysisque, qui ante Troica tempora universam Thraciam usque ad Peneum subegerant, in Asiam deducti sunt, ubi mutato nomine Bithyni dicebantur. Strabo autem p. 541 etiam in Thracia Bithynos novit. In Asia Thyni oram omnem tenent (Plin. 5, 32), insula Thynias ab iis cognominata est; Bithyni interiora habitant et ab initio etiam Phrygiam Epictetum. Bellicosissimi erant ut reliqui Thraeces, Persico etiam imperio vix satis parentes (Xenoph. Hellen. 3, 2, 2). Magnis calamitatibus illa decem milia Graecorum affecerunt, quum per hanc regionem proficiscerentur; continuo in pabulatores et in extremas Graecorum stationes impetus faciebant captivosque crudeliter tractabant (Anab. 6, 2).

b) Quae sita sint inter Sangarium et Parthenium.

In his finibus incolunt Mariandyni et Caucones. Unde venerint Mariandyni, memoriae non est mandatum, sed quum lingua et reliquo cultu similes essent Bithynis, ipsi quoque Thraeces fuisse videntur. Comprehendit eos Xenophon in Thracia Asiatica et Romanorum quoque aetate in Bithynorum imperio continebantur. Nomen Theopompus a Mariandyno Paphlagonum principe deducit, qui agro huic Bebrycibus adempto nomen suum reliquerit, unde conjici potest, Bebryces mutato nominis Mariandynos factos esse. In armatura non differunt a Paphlagonibus (Hdt. 7, 72, 3, 90). Graeca urbs Heraclea in eorum agro a Megarensibus condita est ad Lycum fluvium prope Acherusiadem chersonesum (Anab. 5, 10), ubi specus est Acherusia, ad Manes, ut ajunt, pervius atque unde extractum Cerberum existimant. Plinius (6, 1) ibi etiam portum Aconen veneno aconito dirum collocat. Oppidani Mariandynos circum habitantes servitute oppresserant.

Inter Mariandynos et Parthenium sedebant aliquando Caucones, genere sive Scythae sive Macedones et Pelasgi; non certum est Straboni. Ticum fuit oppidum eorum; Mela autem (1, 19) Tion Milesiorum coloniam dicit, sed jam soli gentisque Paphlagonum. Apud Homerum (Il. 10, 429) Caucones cum Lelegibus et Pelasgis etc. inter socios Trojanorum reperiuntur; apud Herodotum nomen eorum non legitur, nisi Caucones Pylios in Peloponneso iis cognatos dicas (Hdt. 1, 147). Strabonis tempore Cauconum genus funditus perierat (544), aut pauci circa Parthenium restabant (542).

c) Inter Parthenium et Halyn,

quae flumina, si oratori Sinopensi apud Xenophontem (Anab. 5, 6, 9) fides habenda est, sine navibus transiri non poterant, Paphlagonum terram amplectuntur. Parthenius in ipsa Paphlagonia ortus, florida praeterfluit loca, unde nomen suum a Graecis recepit (Str. 543). Eum accolebant olim Heneti, quorum aetate Strabonis nihil praeter memoriam reliquum erat. Alii pagum quendam, 600 stadia ab Amastri dissitum, domicilium eorum antiquum existimabant, alii gens quaedam, Cappadocibus contermina, progenies eorum putabatur. Apud Homerum (Il. 2,



852) Heneti sunt gens sive tribus Paphlagonica (primariam dicit Strabo), Pylaemenem ducem in Troicum bellum secuta, quae, Pylaemene in pugna interfecto, cum Antenore in Adriaticum sinum, aut navibus abiisse, aut terrestri itinere per Thraciam pervenisse dicitur. Ea potest causa fuisse, qua eorum memoria in Paphlagonia evanuerit.

Paphlagonia circumhabitabatur occidentem versus a Mariandynis et Bithynis, meridiem versus a Phrygibus (post illa saecula a Galatis), trans Halyn incolebant Leucosyri. In duas partes commode dividitur, in oram maritimam et mediam terram. Planities magna et campi amplissimi in ea continentur, sed ab oriente et meridie sunt montes altissimi (Anab. 5, 6, 6). Incipimus ab ora maritima, ubi haec jacent oppida:

Amastris, in chersonesi alicujus isthmo sita, qui utrimque portum habet. Oppidani ex quatuor locis Sesamo, Cytoro, Cromna, quae etiam apud Homerum commemorata inveniuntur, et Tio congregati sunt ab Amastri, Dionysii, tyranni Heraclensis, uxore, a cujus nomine urbs dicta est. Arx autem fuit antiqua Sesamus. Qui a Tio adducti erant, paulo post iterum discessere, reliqui in unam civitatem concreverunt. Cytorus (a Cytisoro, Phryxi filio, condita, ut Ephorus refert, Strabo 545) aliquando emporium fuit Sinopense. In ditone Amastriana, maxime circa Cytorum, optima nascitur buxus. Praeter Cytorum, Sesamum, Cromnam ab Homero commemorantur: Aegialus, litus supra 100 stadia longum cum pago ejusdem nominis, et sublimes Erythini (545 Strabo), forsitan scopuli duo, a rubro colore Erythrini postea appellati. Sequitur Carambis, promontorium ex hac ora longissime in septentrionem porrectum, quod cum contrario Criu Metopo in chersoneso Scythico Pontum Euxinum in duas partes sejungit. Sequuntur Cinolis et Anticinolis pagi, Abonutichos oppidulum. Promontorii Syriae mentionem non facit Strabo, sed post Ἀβάγου τείχος collocat Armenen, pagum et portum Sinopensem, ubi (Mela auctore 1, 19) finitur Paphlagonia. 50 stadiis ab Armene (700 a Carambi promontorio, 2000 ab Heraclea, 3500 a fano Chalcedonio) sita est Sinope, Milesiorum colonia, urbs praestantissima ad Pontum. Deinceps sunt Halyos ostia. Omnis haec ora montana Paphlagoniae projecta, Sinopensis plerumque appellata, quia magnam ejus partem Sinopenses tenebant, optimam navibus fabricandis materiam habebat et deportatu facilem; praeterea acer et nucem montanam, ex quibus mensae secabantur. Paulo superius a mari oleis etiam consita est. Herodotus (4, 12) narrat, Cimmericos, Lydia expulsos, in eam chersonesum, ubi Sinope jacebat, confugisse, et Strabo, esse, qui Henetos, cum his Cimmericis expeditione facta, in Adriam pervenisse crediderint.

Interior Paphlagoniae pars. Regio haec ad meridiem a Sinope in nostris mapis nimis in septentrionem extensa videtur, unde inter oram et montes mediterraneos terra existit incognita. Strabo docet, (p. 562) orae Sinopensi Olgassyn imminere montem altum et difficili transitu, in quo Paphlagoni ubique sacella exstruxerint. Sub monte sunt provinciae

Blaëne et Domanitis, quam Amnias flumen irrigat, fertili agro praeditae. Domanitis contermina est Pimolisenae provinciae, a Pimolisis, castello regio, cognominatae, quae utrimque Halys adjacet. In Domanitide collocatur Pompejopolis, cujus nomen antiquius ignoratur. Ibi in Sandaracurgio monte, quem operarii fodinis subierunt, auripigmentum, Sandaraca dictum, effoditur. Laboriosum erat opus et letale ob gravem glebarum odorem, ut, licet plus ducenti essent operarii, continenter tamen morbis exitioque consumerentur; itaque servi tantum, ob facinora venditi, ad hunc laborem adhibebantur, et propter exiguum lucrum opus saepe omissum est. In hac regione posteriore tempore Nicomedes, Bithyniae rex, a praefectis Mithridatis tantam cladem accepit, ut, cum paucis aegre elapsus et in ipsa Bithynia non tutum sese ratus, in Italiam fugeret. Inter Pompejopolin et Bithyniam non magnum est intervallum, multi tamen reguli ante Romanorum imperium ibi dominabantur. Bithyniam versus Timonitis, Gezatorigis ditio, Marmolitis, Sanisena et Potamia provinciae recensentur; est ibi etiam regio quaedam Cinistene, ubi Cimiata, castellum munitissimum, invenitur, Olgassyos jugo subjectum, qua arce postea usus dominationem Ponti Mithridates *ὁ κτιστής* assecutus est. Restiterant, ut supra jam dictum, indigenae reguli in montibus, quorum postremus Dejotarus, Castoris filius, cognomine Philadelphus, Augusti imperatoris aetate mortuus est. Tenebat iste Gangra, (quam Morzei regiam dicit Strabo 562), oppidulum et castellum.

Xenophontis tempore imperium Paphlagonum trans Halyn ad Tibarenos usque pertinebat (Anab. 5, 5, 6); nam Graeci, ad Cotyora versantes, ex Cotyortarum pagis et ex Paphlagonia necessaria cepisse dicuntur. Halys, Iris, Thermodon flumina jam in Paphlagonia ponuntur. Hac ratione factum esse potest, ut omnis Cappadocia ad Halyn utroque sermone et Paphlagonico et Cappadocio uteretur et vocabulis Paphlagonicis abundaret (Strabo 553). Sed apud Herodotum 1, 72 et apud Strabonem ad Halyn Paphlagonum et Cappadocum fines constituuntur.

Gens Paphlagonum. Nihil legitur de externa hujus gentis origine, sed ab antiquissimis temporibus eadem terra sedens et usque ad Romanorum aetatem sub popularibus regibus fuit. De Pylaemene, qui Henetos suos Trojanis auxilio duxerit, jam supra dictum est. Quo tempore decem milia Graecorum per has regiones proficiscebantur, Corylas erat princeps Paphlagonum, qui meliorem habebat equitatum quam reges Persarum atque exercitum, si oratori Sinopensi credamus, centum viginti milia superantem (Anab. 5, 6, 8). Tantis opibus confidens, regi mandatis parum audiens erat. In expeditione, quam Cyrus minor contra fratrem instituerat (Anab. 1, 8, 4), etiam Paphlagonum fuere et in proelio apud Cunaxa mille equites eorum cum Clearcho in dextro cornu steterunt. Paucis annis post, Agesilao in Asia bellum gerente, Xenophon (Hellen. 4, 1, 2—3) mentionem facit Otyis regis, qui defectionem a rege diu jam molitus, societatem inierit cum Agesilao et auxilia dederit. Satrapae nullo tempore in Paphlagonia commemorantur; nonnunquam tributaria, semper domesticis parebat dominis. Nepos (in Datane 2) de Thyo narrat, qui Artaxerxis Mnemonis tempore Paphlagoniae imperaverit: „Erat

eo tempore Thyus, dynastes Paphlagoniae, antiquo genere natus a Pylaemene illo, quem Homerus Troico bello a Patroclo interfectum ait. Is regi dicto audiens non erat. Quam ob causam bello eum persequi constituit, eique rei praefecit Datamem, propinquum Paphlagonis; namque ex fratre et sorore erant nati. Quam ob causam Datames omnia primum experiri voluit, ut sine armis propinquum ad officium reduceret. Ad quem quum venisset sine praesidio, quod ab amico nullas vereretur insidias, paene interiit. Nam Thyus cum clam interficere voluit. Erat mater cum Datame, amita Paphlagonis; ea, quid ageretur, rescit, filiumque monuit. Ille fuga periculum evitavit, bellumque indixit Thyo, in quo vivum Thyum cepit cum uxore et liberis, et vinctum ante se ad regem duxit. Nihilominus et postea satrapis non erant subditi. Ad Alexandrum apud Granicum victorem et satis magna parte Asiae jam potitum, quum An-cyrae in Phrygia versaretur, legati a Paphlagonibus venerunt, deditionem suorum nuntiaturi, ingressum in suam terram deprecaturi. Alexander, peculiarem regioni satrapam non instituens, parere eam iussit Calae, quem Phrygiae ad Hellespontum praeposuerat. Restabant usque ad Augusti aetatem indigenae reguli maxime in montana Paphlagoniae parte; cum Dejotaro, quem supra commemoravi, genus eorum interiit.

De legibus institutisque, quibus usi sint, nihil apud veteres legitur. Ex paucitate oppidorum cognoscitur, incolae in agris vixisse; quae sunt oppida, ad littus fere jacent, aut posteriore tempore orta sunt. Antiquitus in media terra castella inveniebantur, non urbes. Propriam habebant linguam, a vicinorum sermone diversam; apud Strabonem p. 553 leguntur aliquot nomina Paphlagonica. Itidem non satis certum habemus, quos deos coluerint; sacella in monte Olgassy, quae memorat Strabo, cultum solis sive lucis significare videntur. Armaturam Paphlagonum descripsit Herodotus 7, 72, qui elypeis eos parvis, hastis non longis, telis (*ἀνορτοῖς*) et pugionibus usos dicit, in capite gestasse galeas vimine textas et crura ocreis patriis texisse narrat.

d) Halys.

Halys maximum peninsulae flumen est, 2 stadia latum, quod transire non poterant nisi navibus, cognominatum a salibus, quos in provincia Ximene praeterfluit (Str. 561). Graecum id nomen est; quo indigenae uterentur, nescimus. Legimus apud Herodotum 1, 75, flumen a Croeso in duo brachia esse divisum, ut cum exercitu transire posset; in via regia autem, quam straverant Persae (Hdt. 5, 52), pontibus junctum erat. Fontes in Cappadocia Magna habet prope fines Ponticae Cappadociae, in provincia Camisene. A principio per longum spatium in occasum fertur, deinde in septemtrionem convertitur, et Galatas Paphlagonisque a Leucosyris distinguit. Ita Strabo. Apud Herodotum (1, 72) Halys inter Medorum et Lydorum finis est, qui, ortus ex vicinia Armeniae, per Cilices fluit (apud Plinium 6, 2 per Cataoniam decurrit); deinde Phryges ab laeva, Matienos a dextra parte praeterlapsus, in septemtrionem se inclinat, et, Paphlagonibus a sinistra, Syriis Cappadocibus a dextra relictis, in mare influit.

Totum fere intervallum inter utrumque mare, Ponticum et mediterraneum, percurrit. Consentunt igitur Strabo et Herodotus, in eo tantum discrepantes, quod Herodotus Cilices ad Halyn collocat et Matienos superiorem fluminis cursum a dextra parte accollere dicit. Hi Matieni, ab aliis scriptoribus plane ignorati, alii esse nequeunt nisi Leucosyri i. e. Cappadoces, aut Cappadoces magnae Cappadociae illis vicini. Alio loco (5, 52) Herodotus gentes ad viam regiam ab occasu in orientem hoc ordine constituit: Phryges usque ad Halyn, Cappadoces, Cilices usque ad Euphratem, Armenios, Matienos, Cissios. Ibi igitur inter Armeniam et Cissiam terram collocat Matienos, ex quorum agro et Tigris (7, 72) et Araxes (1, 202) profluunt, ubi Zabatus minor et Gyndes (1, 189) proficiscentibus sunt transeundi. His locis apparet, aut ab utraque Armeniae parte Matienos habitasse, aut errorem inesse in Herodoto. — De Cilicibus praeter Halyn infra disseram, nunc oram maritimam repetamus.



Corrigenda:

- S. 1 Zeile 2 von unten zu lesen perscrutandam
- S. 3 Zeile 10 Asii Zeile 13 und 26 Asiae
- S. 4 Zeile 10 Asiae minoris.